

ADMODUM REVERENDO , PRÆNOBILI , AC  
AMPLISSIMO DOMINO D.

# PAULO THEODORO ROBERTZ

Juris utriusque Doctori , Protho-Notario  
Apostolico , nec non illustris ad S. Gereo-  
nem Colon. ac insignis ad S. Adalbertum  
Aquisgran. Collegiatarum Ecclesiarum re-  
spectivè Præposito , & Canonicò Capitulari,  
nec non Reverendissimi & Serenissimorum  
Archи-Episcopiac Principum Electorum Co-  
loniensis & Palatini , &c. in Spiritualibus  
Consiliario,&c. Cognato suo colendissimo.

*Admodum Reverende , Prænobilis ac  
Amplissime Domine,&c.&c.*

**Q**Uæ fuit olim mundi miseranda facies , quando laxatis nubi-  
um cataractis immane pluviarum agmen ( ut cum Poëtis  
loquar ) universos , quām latè patent , terrarum campos in-  
undata-

## DEDICATIO.

undavit, ea nunc esse Christiani Orbis videtur effigies, *PRÆNOMBILIS*,  
*AMPLISSIMEQUE DOMINE*; quis enim non videat novo mundum  
cataclismo inundari, dum funestissimo tumultuum bellicorum di-  
luvio totus penè Christianus Orbis tumulatus ingemiseit; ut enim  
illo temporum acerbo statu emissus ille aquarum exercitus ruptis  
violenter obicibus immanem undique rerum creatarum stragam in-  
vehebat, grassabatur in sata, sæviebat in prata, rapiebat cum populis  
Urbes, cum Urbibus Regna absorbebat, ita etiamnum hodie totus  
ferme Europæus Orbis atque imprimis illa superioribus fæculis flo-  
rentissima *GERMANIÆ, POLONIÆ, GALLIÆQUE* Regna turbulen-  
tissimis eheu! bellorum fluctibus immersa penitus ac consepulta ja-  
cent: quot non prô dolor! luctuosa Urbium funera, quot nori Op-  
pidorum Arciumque cadavera flore pristino destituta suo in fœtore  
squalentia hoc tristi pelago ad mœrorem circumferuntur! quæ nunc  
demum est Regio, quæ Provincia, quæ non aut planè nutet, aut  
certè præsentissimam fatiscentis Reipublicæ suæ ruinam non verea-  
tur? Sola sola (quæ Superis laus sit) hos inter Decumanos fluctus  
Petri Navicula imperterrita atque irconcussa navigat, tum quòd  
auspicatissimo *CLEMENTIS Undecimi Archithalassæ Opt. Max. gau-*  
det gubernaculo, tum quòd optatissimis *CONCORDIÆ Zephyxismâ*  
dios inter Militiæ turbines placidissimâ fertur Małaciâ alcyoniæ tran-  
quillitatis: Quanquam tamen universus propè Europæus Orbis fu-  
nestif-

## DEDICATIO.

nestissimo tumultuum bellicorum diluvio immersus squallet, ecce tibi [quod utinam fausti ominis loco accipere liceat] dum Urbium suarum stragem deplorat *GERMANIA*, dum furiosis Civilium factionum undis fœdè laceratur *POLONIA*, dum impendentem Vertici suo turbinem præsentiscit *GALLIA*, ecce tibi albicante iterum serenaque fronte in lucem prodit *COLUMBA CONCORDIÆ CONCORDATA* scilicet *INCLITÆ NATIONIS GERMANICÆ* Regnorumque *POLONIÆ*, *GALLIÆQUE*. At verò, cùm in hac tragica tempestate Rerum, in hoc funesto bellorum diluvio nusquam terrarum locum inveniat; ubi requiescere, ubi vel pedem figere tutò quicat, fugit ad *ARCAM* Aramque tuam, Prænobilis Amplissimeque Domine, sive quòd Amplissimo Authoritatis tuæ Patrocinio ceu quodam *PAULI* Gladio eam tutari queas, ac contra quosvis Accipitres vindicare; sive quòd Oleam suam tibi potius jure debito præsentandam dedicandamque arbitretur: & verò ad cuius manus *CANONES HOSCE BENEFICIARIOS* depoñat potius quam ad *TUAS* qui Perillustris Collegiatæ Geroniticæ intra Coloniam non modo *CANONICUS CAPITULARIS* sed & Juris Civilis Sacrorumque *CANONUM* Doctor es *CONSULTISSIMUS*, cuius Consilia geminæ Serenissimorum Principum Electorum Aulæ non semel & audiverunt & probaverunt, cuius sapientiam dexteritas temque variæ in Spiritualibus Commissiones ab altedictis Principibus nec non ab Illustrissimo ac Reverendissimo Domino *JOANNE*

*HENRI.*

DEDICATIO.

HENRICO DE ANETHAN EPISCOPO HIEREPOLITANO SUFFRAGA-  
NEO COLONIENSIS, &c. &c. [ cui pariter à Consiliis multo tempore  
summa cum laude fuisti ] demandatae, Successu felicissimo expeditæ  
palam etiamnum loquuntur.

Accipe igitur COLUMBAM CONCORDIAE ( CONCORDATA GER-  
MANIAE, POLONIAE, GALLIAEQUE ) hoc turbulentio bellorum dilu-  
vio explicatis ad te alis confugientem gaudet illa nullo alio requiescere  
Loco quam sub Pileo tuo Prothonotoriali. Accipe PRAXIN BENE-  
FICIARIAM perquam benefice Domine, sove illam gremio Amplitu-  
dinis, Authoritatis tuæ Clypeo illam defende, meque affectibus favo-  
ribusque tuis perquam gratosis prosequere, qui sum & maneo

Cognatus tuus & Servus  
obsequiosissimus

COLONIAE Ubiorum 1704,  
31. Maii.

ENGEIBERTUS THEODORUS KINCHIUS  
Bibliopola Coloniensis,